

Lisleman, Félix - candidat / Mathieu,
Nicolas - président. - An
Hermaphroditus utroque sexu potens
?

1669.

*Paris : Ex Typographiâ F.
Muguet, Regis ac Illustr.
Archiepiscopi Parisiensis
Typographi, viâ Cytharae, ad
Insigne Adorationis trium
Regum*

Cote : ms 2322 n°139



139 665

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPUTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM

Die Iovis ultimâ Ianuarij.

M. NICOLAO MATTHIEV

DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An Hermaphroditus utroque sexu potens?

I.

NATURÆ aberrantis opus, monstrum. Triplex est, in specie, sexu, effigie. In sexu monstrum Hermaphroditus. Hic maris & fœminæ partibus genitalibus instruitur, quarum alterutra vel utraque peccat. Vt plurimum clitoris mole auctus membri virilis loco est; & fissura extima pudendi muliebris rude quoddam & enorme simulacrum imitatur. Sunt quibus utriusque sexûs partes exactè videntur conformatæ. Cui penis geminis comitatus testibus arrigit cristas, & semen ejaculatur, mas. Cujus ex utero manat semen ac sanguis, fœ-



mina. Non utroque sexu potens, nisi partibus perbellè descriptis cum menstruo sanguine semen utrumque sup-
peditet. Ad Hermaphroditi generationem synodus Mercurij & Veneris in signis bicorporeis, dierum à luna-
ri profluvio numerus, externa parentum ad voluptarium opus incumbentium dispositio aut partium uteri varietas nequicquàm facit. Vt ex masculino semine prædominante mas, ex fœminino fœmina; sic ex utroque pari robore concurrente exoritur Androgynus.

I I.

DVO generationis nostræ principia sunt semen & sanguis maternus. Semen duplex, virile & fœmininum. Vtrumque necesse est concurrere ad prolem. Hoc illud alit; omne calidum moderato frigido nutritur. Semen sanguis est in vasis spermaticis excoctus, perfectus in testibus. Qui repetitis vicibus Veneri sæpiùs li-
tant, semen effundunt inutile, cruentum, nullam à testibus alterationem passum. Vt ex semine ab animâ suam sibi architectante domicilium construuntur partes spermaticæ, sic ex sanguine carnosæ. Hic illis conditis affluit labis omnis expers, nec futurorum ectymatum, superstitite in venis fermento quodam, author. Secùs, fit informis mola, uteri pondus inutile. Prout utrumque ab ignavis fortibusve defluit parentibus, imbellis aut generosa datur proles.

I I I.

HERMAPHRODITI, qui utriusque sexûs genitalia præ se ferunt perfectæ, semper aliquid intùs alunt monstri. His per duplicata vasa deferentia idem semen ad penem utrumque se proruit; si comes menstruum adsit, fœmineum; si absit, virile semen est.

Nec refert quodque pudendum proprio semine in diversis utriusque sexûs testibus confecto madescat. Androgynis lex alterutrius sexûs nonnisi ex Medicorum consilio facit optionem, pœnas daturis si variarent. Decernendum est ut vegetiorem eligant, casto ne abutantur. Sed ecquis modus adsit amorî? Homines primâ origine Hermaphroditos extitisse, vel irati Iovis indices esse funestos, fabula. Nihil exitiale portendunt. Eos amare turpe; ut olim in profluentem abjicere crudele.

I V.

HERMAPHRODITIS ut plurimum à primo ortu non absoluta genitalia sunt inopiâ feminis. His licet ritè compositis utriusque sexûs pensâ non absolvunt. Virile semen cum menstruo nullatenus reperitur: Illud à calidâ temperie corporis, hoc à frigidâ quæ simul non stant. Viragines, saltatrices & aliæ mulieres impigræ ad laborem, in quibus potentior calor sanguinis reliquias per halitus digerit, menstruo sanguine carent. Sæpè ob partitionem spirituum à corde primo vivente influentium neutrum in Androgynis semen redditur ad generandum habile. Spiritibus ad bina pudenda iter tenentibus, nec penis arrigitur nec uterus hiat ac semen illicit. Hinc illo vel hoc etiam perfecto sexu rarò generant.

V.

IN hominis quàm in cæterorû animalium partu major diversitas. Brutis statâ sunt ac definita pariendi tēpora. Homo à quinto ad undecimum mensem fœtus edit; quorum ante nonum natis quæ primum dat hora diem sæpè carpit; vixque quem longa minuat senectâ. Bruta quæ citâ morte auferuntur, plures fœtus parturiunt. Homo tardior victima nil miserantis Orci vix gemellos re-

ponit. Interdum parit Hermaphroditos. An solus? Lepores omnes incredibili fœcunditate tales audiunt. In equis, cervis, canibus aliquando visi sunt. Diceres Naturam in producendis Androgynis generationis avidam lasciviendo velut oberrasse; quæ duobus operam navans in utroque defecit, aut alterutrum reliquit imperfectum.

Non ergo Hermaphroditus utroque sexu potens.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Michaël Denyau.	M. Abrahamus Thevart.	M. Guido Patin, Profes. Regius.
M. Claudius de Frades.	M. Nicolaus Lienard.	M. Iacobus Thevart.
M. Ægidius le Bel, unicus	M. Philippus Doute.	M. Urbanus Bodinæus.
Fratri Regis Med. Ord.		

Proponebat Lutetiæ FELIX LISLEMAN, Constantienfis,
A. R. S. H. M. DC. LXIX.

PARISIIS,

Ex Typographia F. MUGUET, Regis ac Illustriss. Archiepiscopi
Parisiensis Typographi, viâ Cytharæ, ad Insigne
Adorationis trium Regum.